

tii regum, principum ac aliorum corda ipse summi regis filius *et cetera usque* conversatus. Sane quia tempus est, ut tollatur illa confusio, qua filii ancille insultant in filios libere, terram nostri principis detinendo miserabiliter occupatam. Tempus est, ut hii, qui ere peccatorum se diabolo vendiderunt, ammissam recuperent libertatem, et per salutifere redemptionis remedium, animas redimant fraude diabolica captivatas, exurgat nunc, qui dormit, et ab operibus mortis excitetur, ut illuminet eum Christus. Exurgat et currat in splendore fulgoris armorum Domini, accinctus ad illius prelium preliandum, qui legitime certantibus coronam vite promittit. Nos autem iuxta generalis statuta concilii personas et bona eorum, qui crucis sunt caractere insigniti, recipientes sub protectione sedis apostolice speciali, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint et expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti et ore confessi, veniam indulgemus, et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, set in suis dum taxat expensis iuxta facultatem et qualitatem suam viros idoneos destinarint, et illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis personis tamen accesserint, plenam suorum^b concedimus peccatorum. Huius quoque remissionis volumus et concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad subventionem ipsius terre de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa predicta consilium et auxilium impenderint oportunum. Et quoniam per necessarium est prosecutioni negotii memorati, ut principes et populus Christiani pacis gaudeant unitate, per ecclesiarum prelatos discordantes reducantur ad plenam pacem vel firmam treuguan inviolabiliter interim observandam. Hinc est, quod tam pro exhortatione verbi crucis quam pacis seu treuguarum federe suadendo mittimus ad vos .. et ..^c universitatem vestram monentes et obsecrantes in Domino, quatinus ipsum recipientes ylariter et benigne tractantes, sic super premissis eius salubribus monitis intendatis, ut opere clareat, quod vobis non desit magnanimitas Mathathie, qui videns sancta Domini prophanari, prosiliit, ut Dei legem et paternas observantias tueretur.

b) *add. veniam E.*

c) *et and gemmipunctus desunt E*